

Berchtold Haller¹⁾ an Vadian.*Bern. 1528. Februar 15.*

Bericht über die Verlesung der Briefe Vadians im Rate und über eine Zuschrift des Rates nach Appenzell, welche beigelegt wird, damit Vadian sie nach Appenzell schicke. Bitte um ärztliche Ratschläge. Die glückliche Rückkehr der Strassburger Boten. Zerstörung von Bildern und Altären im Gebiete Berns. Er verspricht die Zusendung der Beschlüsse des Rates und wünscht von Zili Bericht über den Unterricht in St. Gallen. Berufung von Lehrern nach Bern.

Salutem. Opportunissime tuas accepi^{a)} literas, charissime consul, ea siquidem hora, qua iam senatus cum diacosiiis conveniebat. Tilmannus questor literas utrasque ad senatum detulit, quibus auditis non minus pileati impostoris impudentiam quam suorum simplicitatem, quod tam facile illis imponitur^{b)}, admirati sunt. Inter consulendum item tibi gratiæ sunt relatæ, quod Bernatum gloriæ detre(c)tari tam ægre feras. Scribit itaque senatus ad Apezellanos, quo animo plebano literas condonarint. Verum ut omnia commodius expedire poteris, copiam literarum magistratus nostri adiunximus. Misissent nostrates proprium nuntium^{c)}, sed id verebantur, ne forte coram paucis, et his oligarchis^{d)}, literæ legerentur. Unde consultius videbatur, ut hæc provincia tibi commendaretur, qui, dum simul congregati fuerint Abzellani, commode poteris per nuntios^{e)} aut pios præsentare. Age igitur, ut soles, quo dei gloria promoveatur apud^{e)} istos bonos homines et impostura nebulonum detegatur. Visum item fuit nostratibus, ne ego scriberem; maioris enim auctoritatis erit, ut solus noster senatus audiatur. Ceterum de regimine salubriori, item et medela pedum tam facile tumentium totiusque molestiæ^{f)} meæ corporeæ commoditate tua

exspecto^{g)} consilia, dum per otium^{o)} licuerit. Scio, nihil negabis. Unum hoc me urget quam maxime, quod, cum ad integrum ferme mensem nobiscum fueris, ad saturitatem tibi colloqui negatum fuerit. Epistola igitur expediat aliquando, quod intervalla locorum negant. Argentinenses fratres felicissime^{h)} ad suos rediere a Berna ad Argentinam usque 6 horis et tribus diebus, etiam per medios hostes et hostium castra trans-euntes. Bella nunc movent missis suis. Multi item in Bernatum di-cioneⁱ⁾ omnia exstirparunt^{k)}, ut vix vestigia altarium videres. Propediem habebis Tiguri excusa, quæ domini consuluerint. Heri translatum est hospitale urbis ad conventum predicatorum^{l)}. Cæsarei minantur Constans-antiensibus bella; sed dominus pro nutu suo omnia dirigat. Quicquid interim scitu dignum apud^{e)} nos acciderit, te non latebit. Quo vero pacto pædagogiam^{m)} apud^{e)} vos primum cœperitis^{a)}, singulatim scilicet pueros aut congregatim erudiendo, ea, quæ prelis^{a)} excusa sunt, fac Zilinus meus depingat. Dominum Michâlen Schappeler, virum humanissimum iuxta-que pium ceterosque^{a)} fratres omnes salutabis. Vocarunt nostrates Me-gandrum, Sebastianum ~~L~~economum et apud^{e)} Rhetos didascalum, qui et contionibus et lectionibus prosint. Vale. 15. Februarii, Bernæ, anno 28.

Tuus ex animo *Bertoldus Haller.*

Unum hoc te non lateat. Vocem meam audiuntⁿ⁾ usque adeo gravem. Vidisti item templum nostrum, quam amplum sit, unde, cum puereram, uno latere castratus, altero nunc latere ruptus. Maiora igitur vereor pericula. Consule igitur, quibus mediis ea prævenire possim.

Prudentissimo apud^{e)} S. Gallenses consuli Ioachimo Vadiano, maiori suo summe observando.

a) „e“ für „æ“, bezw. „æ“ — b) „imponi“ mit Abkürzungsstrich über dem „n“. — c) „c“ für „t“. — d) „olyg.“ — e) „aput“. — f) „mol.“ mit Abkürzungsstrich. — g) „exp.“ — h) „fel.“ — i) „t“ für „c“. — k) „ext.“ — l) Ohne Zweifel absichtlich für „Prædicatorum“. — m) „e“ für „æ“. — n) „aud.“ mit Abkürzungsstrich.

l) Vgl. III, Brief 434.